

ma, quæ peccauerit, si Deo credimus, ipsa est, quæ morietur. Hæc autem anima, quæ creata a Deo, infunditur sibi præparato ab eodem Deo, & natura, corpori, nō peccauit: nec antequam infunderetur corpori, nec in ipsa infusione. Nec h[oc] eidem ad peccatum imputari potest, quod nō persfecit i[n] nobiliori, immortali, sed eiusmodi tali, hoc est, mortal[i], & quod ad sibi amica, & commoda, etiam cōtraratio[nis] iudicium propensum est, corpori infunditur. Non peccauit etiam illud ipsum corpus, quod eiusmodi, non uero nobilis, & perfectius, in materno utero, ex parentum semine, maternoq[ue] sanguine cōcretum, formatum, alitumq[ue] sit: sed peccauit Adam, humani generis origo, cuius culpa, & peccato, etiā hic, nascitur iræ filius, a Dei gratia, regnorum extorris, damnationiq[ue] obnoxius. Quod dicentes, & rectie intelligentes, nec a catholica quicq[ue] fide, dicemus alienum, nec in Deum, naturæ, & que huius nostræ, ut illius in Adam, conditorem, iniurijs, blasphemiq[ue] erimus.

Quod aiunt, permultū refutare, uulnus illud, quod sine gunt, exitiale naturæ, accesserit ne aliunde, an ab origine infederit, non intelligo, qua ratione, aut probabilitate dicitur. Quid enim resert obsecro, undecumq[ue] accesserit, si sine propria nascentis culpa accesserit? Quam autē ille culpam propriam habere potest, qui culpari nondum potest? qui nullius adhuc legis transgressor argui potest, ut qui sub lege nondum est?

Nec illud demum, qua ratione dicatur intelligo. Constatre inflatum uulnus illud lethale per peccatum: non esse proinde, cur queramur, nisi de nobis ipsis. Quid igitur? nū quid per peccatum nostrum ipsorum, an uero per peccatum originis nostræ, nempe, Adam, hoc uulnus inflatum est? Originis peccatum dicturos existimo: cum nec singi possit quicquam ante cōmisisse paruulos, cuius demerito, lethale

Quam parum  
consorta affe-  
rāt aduersarij.

G illud